



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAEMINIME QUIDEM BEATAE MARIAE VIRGINIS QUAM
VOCANT

NUESTRA SEÑORA DE GUADALUPE TEMPLUM S. LUDOVICI POTOSIENSIS

BASILICAE MINORIS HONESTATUR TITULO Ad perpetuam rei memoriam. – Minime quidem sumus nescii Mexicanos fideles ferventi sane pietate Virginem Mariam colere. Quae profecto res multum iuvat spiritalem progressum ac gignit pariter in catholicam actionem studium. Nos autem ad hunc cultum vehementer cohortamur experti cum simus Ipsi permagna Deiparae beneficia. Libentes igitur et laetantes concedendum diiudicavimus postulatis Venerabilis Fratris Arturi Antonii Szymanski Ramirez, Episcopi Sancti Ludovici Potosiensis, qui vota significans tum cleri tum fidelium suaque item optata, a Nobis fidenter petiit ut sacra aedes B.M.V. dicata, quam ibidem incolae Nuestra Senora de Guadalupe appellant, dignitate statuque Basilicae Minoris ornaretur. Itaque ea comprobantes quae decrevit Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, Nostra Apostolica usi potentate, templum quod supra diximus Basilicae Minoris dignitate exornamus, cunctis similiter concessis iuribus et privilegiis quae ad id genus aedificia spectant. Nominatim exinde decretum erit servandum quod est «de titulo Basilicae Minoris», die IX mensis Novembris, anno MCMLXXXIX, foras datum, contrariis rebus minime quibuslibet obsistentibus. Caelestem Matrem tandem placet adprecari ut fideles istos aequis respiciat oculis opemque ferat certissimam cunctis iis qui ad Eam filiali permoti fiducia prompto animo decurrunt. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Maii, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri tertio decimo.* ANGELUS SODANO, *archiep.*

Prosecretarius Status © Copyright 1991 - Libreria Editrice Vaticana
